UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici

Andreas, Valerius

Francofurti & Lipsiae, 1720

XLIII. De Presbytero non baptizato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-63277

Visual Library

5. Cur in Baptiſmo adhibentur Patrini?

Can. Parvuli 74 cum c. ſeq. diſt. 4.

Ut fide ac profeſſione eorum illi, qui per ſe credere vel loqui, & pro ſe reſpondere non poſſunt (veluti parvuli, muti, ſurdi) Sacramentum Baptiſmi ſuſcipiant. Suntque patres quidam luſtrici, qui tenentur baptizatum inſtituere in neceſſariis ad ſalutem, veluti in Symbolo, Oratione Dominica &c. propriis parentibus mortuis, vel in facere negligentibus. Dicti & Sponſores, Suſceptoresque, vulgo Patrini, Matrinæque. Neque enim intereſt vir ſive mulier baptizatum de fonte ſacro ſuſcipiat, pluresque quam duos, id eſt, unum & unam, adhiberi vetat Conc. Trid.

Can. Non plures 101. d. diſt. 4. Seſſ. 24. c. 2. de refor. trim.

De Presbytero non baptizato.

TIT. XLIII.

c. 1. & 2. h. t. Baptiſmus omnibus adeo eſt neceſſarius, ut ſi quis non baptizatus ſacerdotio eſſet initiatus, tamen ordinis characterem non reciperet ac proinde baptizandus & iterum conſecrandus eſſet.

1. Quid ſi ab omnibus creditus fuerit baptizatus, & demum poſt mortem conſtiterit non fuiſſe baptizatum?

Hoc

HOc caſu omiſſio Baptiſmi ei non nocebit, ſed perinde erit, ac ſi fuiſſet baptizatus, quia, inquit D. Auguſtinus, baptiſmus inviſibiliter miniſtratur, quem non contemptus religionis, ſed terminus neceſſitatis excludit. *cap. 2. h. t.*

De Cuſtodia Euchariſtiæ & aliorum Sacramentorum.

TIT. XLIV.

Ideo diligenter obſervari in ſingulis Eccleſiis oportet Euchariſtiam, chriſma, & alia ſacra vaſa, ut omni tempore eorum copia haberi poſſit. *c. 1. & h. t.*

(Repoſitio & aſſeruatio panis Euchariſtici benedicti non eſt probanda, quia pugnat cum Chriſti inſtitutione, ſecundum quam ſtatim diſtributio & manducatio inſequitur conſecrationem. Vid. Joh. Gerhard. *Confeſ. Cathol. lib. 2. part. 2. art. 14. cap. 3.*

Chriſmatis vero ſive olei conſecrati vel benedicti uſus plane eſt nullus. Neque ſacramentum chriſmatis ſive confirmationis ac benedictionis, quæ ſit interveniente ejusmodi unctione, recte ſtatuitur, utpote divina autoritate deſtitutum.)

De reliquiis & veneratione Sanctorum.

TIT. XLV.

Quemadmodum diligenter cuſtodienda ſunt in Eccleſia, de quibus proxime *c. 2. h. t.*